# Badische Landesbibliothek Karlsruhe

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**


## Brevicvlvs Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

**Bonagratia <von Habsheim>**

**Friburgi Brisgoiae, 1662**

Indvlgentia


urn:nbn:de:bsz:31-160608

Visual Library

ſis adduci non poſſunt, occaſione tamen alicuius boni, & ut habeatur conſenſus Ordinatij ſeu Prælati vel ipſius Vicarij, ſaltem ſemel pro ſemper.

## INDVLGENTIA.

220. IVxta Cõſtitutionem Pauli 5. omnes & ſinguli Religioſi vtriusque ſexûs quorumcunque Ordinum ſequentibus tantùm, reuocatis aliàs conceſſis, gaudent Indulgentijs.

1. Indulgentia plenaria cuique fideli Christiano ſuſ-

cipienti habitum approbatæ Religionis, cum animo profitendi, ſi ſuſcipiat confeſſus, & S. Communione refectus.

2. Indulgentia plenaria cuiuis Nouitio profitenti, ſi ſit confeſſus & S. Communione refectus.

3. Quiuis Religioſus degens intra Clauſuram in feſto principali ſui ordinis confeſſus & S. Communione refectus vel Miſſam celebrãs, rogans pro concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, exaltatione Eccleſiæ & ſalute S. Pon-

Pontificis, lucratur Indulgentiam plenariam. Feſtum autem principale Ordinis videtur feſtum Fundatoris Ordinis canonizati, vel quod pro tali declaratum fuerit.

4. Quiuis Religioſus in articulo mortis verè pœnitens, confeſſus & communicatus, & ſi hoc fieri nequeat, cõtritus, pronuncians & inuocans ore, vel ſi ore non poſſit, mente, nomen Iesv, lucratur Indulgentias plenarias.

5. Indulgentia plenaria

& remiſſio omnium peccatorum cuiuis Religioſo, qui per decem dies ſegregatus à negotijs ſe collegerit ad aliquod cubiculum, vel ſe ſegregauerit à conuerſatione aliorum, ibique intenderit lectioni librorum ſpiritualium & cæterorum ad deuotionem excitantium: Et cõſiderauerit ſæpè myſteria fidei, diuina beneficia, quatuor nouiſſima, Paſſionem Domini: ſimiliaque exercitia ſpiritualia fecerit; Et ſimul fecerit, intrà idem tempus, confeſſionem generalem

lem totius vitæ vel anni vel ordinariam & SS. Euchariſtiã receperit, vel celebrauerit. Et hæc omnia toties quoties fecerit, lucratur Indulgentiam plenariam.

6. Sacerdos Religioſus primam ſuam Miſſam celebrans & Religioſi confeſſi & S. Communione muniti eam audientes, lucrantur Indulgentiam plenariam.

7. Quiuis Religioſus viuens in Clauſura, viſitans ſuam propriãm Eccleſiam & orans in illa deuotè pro ſupradictis in 3. Ind. lucratur

omnes Indulgentias conceſſas viſitantibus Eccleſias, intrà vel extra muros Romæ in die Stationum, ac ſi ipſe illas viſitaret.

8. Quiuis Religioſus viuens in Clauſura, dicens quinquies Pater noſter & Aue Maria, coram altari ſuæ Eccleſiæ ſingulis diebus, lucratur quinque annos Indulg. & quinque Quarantenas.

9. Eandem Indulg. lucratur, qui de licentia Superiorum iter facit, vel eſt extra Clauſuram, ſicut Lectores

res & Prædicatores, ſi proximè dictum faciant coram altari alicuius Eccleſiæ.

10. Religioſi qui per ſpacium menſis vnius ſingulis diebus habuerint mediam horam orationis mentalis, & confeſſi receperint Euchariſtiam in vltima Dominica eiuſdem menſis, lucrantur 60. annos Indulg. & totidem Quarantenas.

11. Qui in Capitulis accuſauerint ſuas culpas, imperfectiones & peccata contriti & communicati, & habuerint exercitia virtutum,

lucrantur 3. annos Indulg. & totidem Quarantenas.

12. Religioſus miſſus à Papa vel legitimo Superiore ad terras Infidelium vel Hæreticorum, prædicandi gratiâ, vel ad docendum ibi Catholicos vel Hæreticos conuertendos vel Infideles reducendos; ſi ad prædictum finem fuerit confeſſus & S. Communione refectus, lucratur Ind. plen. per duas vices diſtinctas, 1. quando recipit Sacramenta ad illum finem. 2. quando ingreditur Prouinciam, ad quam mittitur.

13. Quando Superior in Viſitatione Generali, pro meliori ſucceſſu viſitationis voluerit inſtituere ſolitas 40. horas Orationis, ſinguli Religioſi, qui durante ſpacio prædictarum 40. horarũ, ad minus habuerint duas horas orationis diuerſis etiã temporibus per interualla, rogando deuotè pro concordia Principum Chriſtianorum, extirpatione hæreſum, exaltatione fidei, ſalute Papæ & augmento Regularis diſciplinæ, cõfeſſi & S. Communione refecti, lucrantur

Indulg. plen. & remiſſionem peccatorum.

221. Cæteras omnes Indulgentias Regularibus conceſſas licet, vt dictum, Paulus 5. annullauerit, eaſdem tamen reualidaſſe refertur idem, & inſuper Greg. 15. ac tandem Vrbanus 8. confirmans omnes Indulgentias & gratias per ſuos Prædeceſſores Ordini SS. Trinitatis (& per communicationem etiam fratribus Minoribus; ac ſpeciatim Capucinis) cõceſſas, in qua confirmatione continentur etiam Indul-

gentiæ

gentiæ Stationum Vrbis &
Orbis, quæ ſunt abſque nu-
mero: Romæ quidem ad mi-
nus quotidie in tribus locis
Indulgentiæ plænariæ ha-
bentur, quas ita etiam Regu-
lares lucrari poſſe probabi-
liſſimum eſt, quicquid alij
ad nō plenarias reſtringant.

222. Porrò ſupradictas
Indulgentias omnes lucrari
poſſunt Religioſi, tam intrà,
quàm extra Clauſtra, cum
licentia tamen ſuorum Su-
periorum, exiſtentes, viſitā-
do altaria Eccleſiarum illo-
rum locorum, in quibus

commorantur, ſiue per modum itineris, ſiue per modū ſtatûs. Infirmi autem & decrepiti, qui non poſſunt Eccleſiam adire, poſſunt eas cōſequi in lectulo ſuo, dummodò agant aliquod opus pium arbitrio Confeſſarij.

Recitantes in quocunque loco quinquies Pater noſter, cum Aue Maria, & in fine cuiuslibet Gloria Patri, & pro Sanctitate ſua, vnū Pater noſter, cum Aue Maria, ſimiliter cum Gloria Patri, lucrantur Stationes, Indulgentias & remiſſiones tam

Vrbis,

Vrbis, quàm etiam Portiunculæ ſiue Hieruſalem, &c.

*IVBILVS MARIANVS quem, qui recitauerit, toties, quoties (Vt quorundam fert relatio) lucratur Indulgentias plenarias.*

AVe Virgo glorioſa,
Stella Sole clarior:
Mater DEI gratioſa,
Fauo mellis dulcior:
Rubicunda plus quàm Roſa,
Lilio candidior:
Omnis Virtus te decorat,
Omnis Sanctus te honorat,
In cœlo ſublimior Amen.

223. Poſt dictam Reuocationem, de nouo rurſum cõceſſæ ſunt Indulg. plenariæ Religioſis recitantibus *Coronam* B. V. Mariæ, vel *Coronam Domini* 33. *Paternoſter* & 5. *Aue Maria* aut *Pſalmos Pœnitentiales*, vel *Graduales*, vel *Officiũ Defunctorum*. Vel ſi ſunt infirmi vel decrepiti, dicentibus Pſalmum *Miſerere* aut *Canticum* B. V. aut *Hymnum Aue maris ſtella*. 224. Similiter etiam recitantibus ter Aue Maria, cum tribus illis antiphonis *Angelus Domini &c.* ad tria ſigna

ſigna Campanæ, Indulgentiæ plenariæ conceſſæ ſunt: Aliæ inſuper orantibus pro Defunctis, dum eum in finẽ fit pulſatio. Sciendum ad Indulgentias lucrandas, opus non eſſe actuali voluntate, ſed ſufficere habitualẽ & interpretatiuam, & ut fiat in gratia. Qui confeſſus eſt & communicauit quatuor antè diebus, & de nouo non peccauit mortaliter, poteſt vi dictæ Cõfeſſionis & Communionis obtinere Indulgentiam poſtea conceſſam, eſto non direxerit illas ad eã comparandam. 225.

225. Illæ porrò, quæ conceduntur viſitantibus noſtras Eccleſias, extenduntur etiam ad oratoria ſeu ſacella ſiue amouibilia, ſiue occulta ſint. *Vid. V. Priuilegium. n. 411.* 226. Decedente aliquo fratre ſeu aliquo ex parentibus alicuius fratris, vel aliquo habente litteras fraternitatis, vel qui fratres ad hoſpitium recipiũt, poſſunt fratres Ordin. Mendic. vbi vna ex talibus perſonis deceſſerit, Miſſam vnam celebrare pro anima dictæ perſonæ defunctæ, quæ illam

libe-

liberet à pœna Purgatorij.

227. Conceſſit Paulus P. 5. *in tribus Eccleſiis cuiuslibet Prouinciæ Capucinorū tam erectæ, quàm in futurum erigendæ, tria altaria priuilegiata per Superiores Ordinis deſignanda, ad quæ quotieſcunque Sacerdos aliquis eiuſdem Ordinis Miſſam Defunctorum pro anima cuiuscunque fidelis, quæ Deo in charitate coniuncta ab hac luce migrauerit, celebrabit, anima de Theſauro Eccleſiæ, per modum ſuffragij Indulgentiam conſequatur, quâ*

*adiuta ex Purgatorij pœnis ad æternam ſalutem per Dei miſericordiam perduci Valeat, &c. & hoc in perpetuũ.*
228. Idem, ſed ad *ſeptenniũ* duntaxat conceſſit modernus Pontifex Alexander 7. *omnibus & ſingulis Eccleſiis Helueticæ noſtræ Capucinorũ Prouinciæ, quandocunque Sacerdos aliquis in altari maiori, ſimili priuilegio minimè decorato, dictarũ Eccleſiarum (dummodo in his ſeptem quotidie Miſſæ celebrentur) dixerit Miſſam Defunctorum in die Commemoratione*

*rationis omnium fidelium Defunctorum, & ſingulis diebus infra illius octauam ac feria ſecunda cuiuslibet hebdomada.* 229. Quod in iſto priuilegio præſcribitur: *dummodo in qualibet dictarum Eccleſiarũ ſeptem quotidie Miſſæ celebrentur &c.* Intellige, ſaluâ neceſſitate, vel aliâ iuſtâ causâ interueniente, ob quam quandoq; tot Miſſas vno die fieri non cõtingat. Sufficit ſeptẽ in illis poſitos eſſe Sacerdotes, qui communiter ibi celebrent. 230. Nihil etiam obſtat aliud

ud quoq; pro Defunctis, v. g. certæ alicuius Confraternitatis vel Ordinis, ibi extare priuilegiũ; cũ diſſimilia ſint valdè, priuilegiũ datũ generatim pro animabus quibuſcunque, &, priuilegium pro animabus certæ alicuius Cõfraternitatis vel Ordinis. 231. Porrò ſeptennium illud priuilegio determinatũ incipit, non à die conceſſionis vel impetratæ gratiæ, ſed publicationis ipſius in ſingulis locis. 232. De neceſſitate autem requiritur dicere *Miſſam Defunctorum* ſiue *Requiem.* 233. Debet etiam

celebrans intentionem dirigere in determinatam animam. Non malè tamen fecerit conditionatè pluribus applicans, vt ſi vni non proſit, proſit alteri.

234. Ad Indulgentias ſpectat etiã priuilegium communicandi Benefactoribus quæcunque Ordinis Bona ſpiritualia, ſuffragia, Indulgentias, orationes, &c. 235. quam participationem facere poſſunt tam Prælati locales pro ſuo Conuentu, quàm Prouincialis pro ſua Prouincia, ac Generalis pro tota Religione.

Religione, cum omnes iſti ſint capita Communitatis, habeantque dominium ſuper actiones ſuorum ſubditorũ, nõ minùs quàm bonorũ temporaliũ, vt ea ex charitate alijs communicent.
236. Iſta participatione, cum detur intuitu beneficiorum, gaudebũt eoúſque tantum, quo Benefactores Ordinis, ſaltem bene loquendo ſi aliter nequeant, fuerint; niſi Prælatus ex mera charitate velit quem ad illam admittere. *De Indulgentiis plura V. Officiũ Diu. V. Priuilegiũ. V. Viſitator.*